

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christvs Acerbissimos Crvciatvs Mortemqve
Ignominiosam Svbitvrvs Ex V.T. In N. Sistitvr**

Officina Ahliana Officina Ahliana

Cobvrgi, MDCCLXXI

§. X.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9348

XIV

tione contexta conuenire videntur; praecedit enim: *propterea quod vita per mortem se euacuauit*; vnde probabile fit, quae proxime sequuntur: *et fontibus annumeratus est*, ad illud ipsum, quo mortis supplicio affectus est, tempus spectare.

IX.

Iesu e ligno pendente, accidit, vt *vestimenta eius milites sorte distribuerent*; quod idem in vaticinio fuisse, Matthaeus c. XXVII, 35. et Ioh. c. XIX, 24. indicant, in medium prolatis verbis Psalmi XXII, 19. *Διμερίσαντο τὰ ἱμάτια μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμὸν μου ἔβαλον κλῆρον.* In quibus tam clara sunt omnia et euidencia, vt actum agere iure videremur, si apte et in loco laudatum esse effatum istud, ex Psalmo, qui totus est Messianus, desumptum, ostendere vellemus. Scilicet euentus hic, per vaticinium de eo proprie dictum, confirmatur.

X.

Addimus duo adhuc V. T. oracula, quae Iohannes, vltima Iesu fata describens, in eo vere impleta fuisse dicit. Alterum eo pertinet, vt *crurifragium* in corpore Christi non esse adhibitum ostendat, quod ad mortem in iis, qui crucis supplicio afficiebantur, accelerandam alias vsurpari consueuerat. Destinato Dei consilio hoc accidisse Euangelista docet c. XIX, 36.

Εγένε-



αγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφή πληρωθῇ· ὅθεν οὐ συντριβήσεται αὐτό. De agno Paschali hoc Deus primum edixerat Exod. XII, 46. coll. Num. IX, 12. qua lege cauebatur, ne, qui agno paschali vescebatur, eius os aliquod confringeret. Iam si, quomodo de Christo haec valeant, quaeratur, in promptu responso est, huius typum agnum istum fuisse, vt ex Ioh. I, 29. et I Cor. V, 7, patet; vt hinc Iohannes a typo ad antitypum argumentum duxisse intelligatur.

XI.

Alter locus per eam occasionem a Iohanne c. XIX, 37. affertur, vbi militem aliquem *latus Christi* vita iam defuncti *lancea perfodisse* narrauerat. Hic impletum esse, inquit, quod Scriptura dicat: ὕψονται εἰς ὃν ἐξέκέντησαν. Verba hebraica apud Zachariam c. XII, 10. ista sunt: והביטו אלי את אשר דקרו, *respicient ad me, quem confoderunt.* 1). Quae Euangelista secundum verum literalem sensum, non per accommodationem aliquam, aut argumentationem, ad eam rem, de qua ipsi sermo est, transfert. Loquitur enim apud vatem Iehoua,

et

1) Hebraica accurate expressit Iohannes, relicta LXX. versione, qui: ἐπιβλέψονται πρὸς με ἄνδ' ἃν καταρχήσαντο, *respicient ad me pro eo, quod insultarunt.* Error facilis erat, ob literarum similitudinem, legentibus דקרו pro דקרו.

